DE

VARIIS GASTRITIDIS FORMIS DIAGNOSCENDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XVI. MENSIS NOVEMBRIS A. MDCCCLIII.

PUBLICE DEFENDET

Andreas Stomma

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

EMMERICH SCHUETZ, cand. med. et chirurg.
FRANCISCUS IOSEPHUS WEBER, med. et chir. cand.
GUILELMUS WEIDENBACH, cand. med. et chirurg.

BONNAE.

TYPIS C. KRÜGER.

MDCCCLIII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

MAUR. E. A. NAUMANN

MED. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESS. PUBL. ORDIN., INSTITUTI CLINICI MEDICI IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA DIRECTORI, COMPL. SOCIETAT. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO MERITISSIMO.

SUMMA QUA PAR EST PIETATE ATQUE BENEVOLENTIA

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Nullis in organismo hominis visceris aegrotatio profecto tam frequens est, quam ventriculi. Omnibus enim in vitae conditionibus et aetatibus ventriculus permultis malis afficitur et non solum propriis, ut ita dicam, morbis subactus est, sed etiam propter mirabilem consensum cum omnibus organismi humani partibus plurimis quoque earum morbis afficitur, ut a multis scriptoribus centrum et focus omnium sympathiarum habeatur. Prima aetate, qua assimelationis vires primarum viarum effectui frequentissime commutato diversissimorum alimentorum aptari debent, praedispositio ventriculi ad affectiones morbosas eo maior est, partim quo frequentius et violentius organa digestiva coacta sunt, diversissima ingesta subigere et ad adolescentis organismi utilitatem adhibere, partim quo teneriora atque debiliora in organismo humano sunt instrumenta, quibus a natura hoc grave negotium perficiendum traditum est. Ea de causa nobis non admirandum est morbos ventriculi prima infantia non infrequentes esse, praecipue si cogitamus, quam facile vires ventriculi infantilis commutatione victus a matris mammis praediti cum crudis alimentis digestionis viribus non aptis opprimantur. Quum autem hac aetate nervi peripherici id stadium perfectionis, ut affectionibus pathalogicis neuralgia praesertim effici possit, assecuti non sint, gastralgiae

non observantur, sed multo magis viribus nocentibus praecipue organa illa aetate maxima sensibilitate instructa nimirum cerebrum et medulla spinalis afficiuntur, atque inde reflexu convulsiones universales et variae neuroses efficiuntur. Multo frequentius in organismo infantis actio nutritionis atque secretionis systematis capillaritatis stomachi aegrotat. Quam ob rem secretio morbosa membranae mucosae ventriculi forma primaria omnium ceterorum stomachi morborum atque fons abundans malorum universalium dyscrasiarumque esse videtur. Acore enim abunde secreto et in corporis succum recepto nutritio a norma declinat et plasma ad nutritionem sustentandam destinatum in mutatione in corporis humani partes perficienda retinetur, itaque scrophulosis atque rhachitis; organa excretoria materia replentur, quae ipsa incitatione persaepe mala efficere potest, qua de causa exanthemata, aphtae membranarum mucosarum. Aetate provecta ventriculus morbis omnis generis e variis causis affici potest.

Senectute tandem telae mucosae persaepe hyperhaemiae passivae et adauctae sputorum secretionis sedes fiunt qua de causa frequens gastricismus, gastrorrhoea, status blennorrhoeus tunicae mucosae ventriculi et dyspepsia illa aetate, sed etiam gravibus structurae alterationibus ventriculus praecipue illa aetate laborat, desorganisationes, scirrhus multo frequentiores, quam aliis vitae aetatibus incidunt.

Pars prima.

SYMPTOMATA GENERALIA, QUAE IN VENTRICULI MORBIS OBSERVANTUR.

§. 1.

Inter symptomata localia, quae in ventriculi morbis saepe accidunt, referrenda est flatulentia intumescentia et tensio regionis ventriculi. Epigastrium et hypochondrium sinistrum adauctae resistentiae et convexae formae sunt; haec regio ea facilitate, qua aliae abdominis regiones, deprimi non potest, eiusque compressione sensus iniucundus, qui ad ipsum dolorem augeri potest, efficitur. Sed tamen haec intumescentia ventriculi ab ea eiusdem regionis distinguenda, est, quae lobo hepatis sinistro persaepe in epigastrium et hypochondrium sinistrum pertinente aut viscerum in inferiorem partem dislocatione ex-

sudatis et dilatatione cavitatis thoracis perfecta, aut colo saepe per transversum ventriculum locato efficitur. Haec intumescentia semper permanere aut ingestione tantum ciborum in suprema digestionis actione aut quibusdam tantum cibis et potionibus effici aut in ieiunitate adesse potest.

§. 2.

Dolor, etsi huic sensibilitatis significationi saepe diffidendum est, eiusque gravitas ad omnia reliqua morbi symptomata, multa cautione adhibita, perpenda est, tamen parvi momenti non est. Aegrotationes ventriculi saepe sine dolore adesse possunt, qui ne compressione quidem profertur. Si dolor depressione non augetur, sed multo magis temperatur et certis accessionibus revertitur, spatio plane doloribus vacante interiecto, affectio ventriculi nervosa vero propia est. In ventriculi autem morbis dolores valde varii sunt, prementes enim, perforantes aut discindentes, pungentes, secantes, rodentes, urentes et c. t. describuntur. E sensu premente et molestia secundum experientiam de membranae mocosae ventriculi aut eius secretionis aegritudine coniectura faci potest. Sed si dolor acutus est aut nervi soli laborant, quo in casu dolor certis intervallis incidit, neque compressione

augetur, aut omnes ventriculi telae, aut praecipue eius membrana serosa aegrotant, tum quoque regionis ventriculi temperatura adaucta est et nimia tactione aegroti doloribus afficiuntur. In membranae autem mucosae ventriculi affectionibus dolor graviore tantum compressione augetur. Etiam propagatio doloris varia est. Si dolor vehementissimus in circumscripto loco permanet, alteratio membranarum ventriculi permagna, exulceratio, aut alia degeneratio eo loco veresimilis est. Saepe quoque dolor cum ardente acerboque sensu coniunctus a ventriculo secundum oesophagum sepropagat. Si dolor in ieiunitate tantum adest et ciborum ingestione deminuitur, succi gastrici quantitas adaucta atque qualitas eius alterata veresimilis est, quae a secretione folliculorum ventriculi morbosa gignitur. Hoc enim casu nervi ventriculi acerbitate secretorum incitantur, quomodo dolores oriuntur. Si contra dolor simul cum sumptis cibis et potionibus apparet et per digestionis totum tempus permanet, vel usque ad ventriculi evacuationem vomitus motione reflexa effectam, inflammatio chronica aut irritabilitas adaucta fere pro certa putari potest. Quacum saepe cephalalgia sympatica coniuncta est et maxime feminas chloroticas virosque hypochondriacos afficit. Non raro aegroti secunda aut quarta hora postalimentorum ingestionem de dolore

queruntur, qui per nonnullas horas perdurat; interdum quoque in chymum mutatam materiem vomitu reddunt. Quo in casu pylori aut duodeni affectio morbosa alimenta a trasitu expedito prohibere videtur. Hac aegrotationis forma saepe dolor aut sensus iniucundus in hypochondrio dextro coniunctus est, qua de causa malum cum hepatis morbo facile mutari potest. In impetu dolor saepe obliqne in inferiorem et posteriorem partem ad renem dextrum se propagat et ab eo loco iterum ad umbilicum se extendit. Incertis quoque temporibus dolor apparere potest et tum vehementissimus et saepe coniunctus est cum intumescentiae ventriculi sensu et inquieti permagnaque anxietate. Haec doloris forma cum aliis symptomatibus hystericis coniuncta in feminis saepe animadvertitur et e maiore ventriculi extensione manare videtur. Si aegrotus, cibis assumptis, semper dolore aut multo magis quadam in praecordiis tensionse afficitur, quae tum ad totum tergum se propagat et coniuncta est cum sensu ut in suffocationis initio, qui usqne ad ciborum remotionem perdurat, gastrostenosis cardiaca veresimilis est, praecipue si cum illis symptomatibus singultus coniunctus est. Apud gastrostenosin autem pyloricam cibi sine dolore impedimentisque in ventriculum recipiuntur, tum tamen vomitu evacuuntur.

§. 3.

Non parvi momenti reactionis sensibilitatis ventriculi ratio in alimenta quod attinet ad qualitatem, inter se differentia mihi esse videtur. Iam in valitudine haec sensibilitas multis rebus, quae contrariam vim et effectum in alias membranas sensibiles exercent, non afficitur. Exempligratia membrana mucosa ventriculi pipere sinape aliisque rebus acribus, quae tegmentum externum rubefaciunt uon afficitur. Contra multi homines idiosyncratici fragis assumptis vehementissimis doloribus cruciantur. Multo autem distinctiorem in multas res reactionem ventriculus aegrotus habet. Ventriculus enim inflammatus ne guttam quidem aquae saepe patitur, feminae chloroticae saepe omnia alimenta assumpta vomitu eiiciunt, creta argilla aiisque rebus exceptis, quorum ad fructum libidine a norma dissidente incitantur.

§. 4.

Ventriculi morbis necesse est, perturbationes digestionis gignantur, quae fere semper appetentiae absentia, nauseae impressionis molestiae sensu, ipso dolore postcoenam diagnoscuntur. Haec conditio saepe cum universali febrili motione coniuncta pertotum digestionis tempus

perdurat et per tiuturnius ipsum temporis spatium. Si illa aflectio vehementior est, digestio perfici non potest, et ventriculus onus suum vomitu eiicit. Huius gravis actionis prostratione omnes ceterae, in quas imperium habet, functiones patiuntur.

§. 5.

Pyrosis pertinax coniunctus cum singultu atque mucitenuis evacuatione, aut cum sensu continui et vehementis acoris, qui variis cibis assumptis, aliis in conditionibus acorem facile non efficientientibus, gignitur membranae ventriculi mucosae mali indicium habenda est. Haec supra dicta symptomata saepe cum ulceratione coniuncta erant, aliis autem in casibus membranae mucosa condensata pallida atque fungosa reperta est. Si liquor vomitu eiectus quadris cacaoticis proprium habet colorem ulceratio suspicienda est. In nonnullis autem huius rationis casibus nihil nisi contensata atque denigrata membrana mucosa reperta est. Liquor vomitu eiectus talibus in casibus magnam albuminis quantitatem continet, ciusque color fuscus colorante sanguinis materia effectus esse videtur.

§. 6.

Vomitus inter ventriculi motiones a norma dissidentes notissima et vehementissima, quum nervorum systemate ipso, tum locali irritatione, aut morbis ventriculi praecipue in parte pylorica, aut uvulae, aut pharyngis, aut intestinorum quoque efficitur; non semper autem vomitus ventriculi sola motio est, sed etiam contractionibus spasticis musculorum abdominis et diaphragmatis adiuvatur et illis solis ipsis, sin etiam ventriculus plane debilitatus est, perfici potest. Vomitus chronicus variis et irrigularibus temporibus, nisi morbi organici suspicio adest, omnino cum irritabilitate morbosa membranae mucosae coniunctus esse videtur. Vomitus cruentus ulceratione ventriculi oriri potest, tamen ea puoque absente: etiam morbus organicus saepe reperiri non potuit et nefons quidem effusionis sanguinis, quamquam illo vomitu cruento mors adductus est; aliis in casibus in ventriculi membrana mucosa multae venae varicosae inventae sunt.

§. 7.

Symptomata sympatica, quae saepe cum ventriculi morbis coniuncta sunt, non raro symptomata localia et obscura illustrare possunt. Consensus inter singulas eius-

dem tracti membranarum mucosarumpartes adspectui membranae mucosae cavitatis oris linguaeque, quae a multis celeberrimis pathologicis speculum ventriculi nominatur, magnam gravitatem praebet.

Omnium quoque temporum experientia confirmat, qualitatem linguae eiusque tegmenti cum mucosae gastrointestinalis et eius secretionum qualitate paene congruere. Secretionibus in illis organis magnis, lingua quoque gravi tegmento inducta est, tegmento in linguae superficie firme adhaerente, ventriculi quoque secreta tenacis naturae esse, putandum est; bile in primis viis praevalente, linguae tegmentum flavum coniunctum cum sapore amoro. Mucus tegmentum album tenacemque et saporem farinae chartariae efficit; turgor erethisticus membranae ventriculi mucosae colorem rubicundum linguae coniunctum cum papillarum erectione praebet. Secretio imperfecta atque resorptio praevalens linguae siccitate cognoscitur; cetera pars intestinorum diversa ratione morbi ventriculi saepe particeps est.

§. 8.

Aliud grave symptoma sympaticum est cephalalgia gastrica, quae premens et tenebrans describitur praecipueque in regione frontis sentitur Cephalalgia illa ex

efficientia dyscraticae qualitatis sanguinis, gastricismo et chlorose effectae, in cerebrum originem ducere videtur. In gastricis enim atque biliosis stadiis cephalalgia vehementissima est et deminuitur si materia heterogenica ex organismo aptis remediis remota est, ventriculi morbo ipso etiam non sanato.

Affectionum ventriculi totus organismus saepissime particeps fit et eo vehementius, quo magis omnes ventriculi telae aut eius membrana serosa morbo affectae sunt. Mirabilis consensus est, sympaticus inter abdominis organa et systema vasorum, qui involucro seroso effectus esse videtur. In vehementibus et acutis abdominis morbis pulsus parvi et frequentes contractique sunt.

§. 9.

Inter molestissima ventriculi morborum symptomata affectiones cordis sympaticae nominandae sunt, quarum formae variae animadvertuntur. Saepe illae affectiones omnia morbi veri cordis aut magnorum vasorum signa magnopere praebent. Levissima et fortasse frequentissima forma sensu subito motionis cordis volventis titubantisque excelsa est ei simili, quae subito terrore aut timore gignitur, quacum affectione, uno eodemque tempore intermissio pulsuum coniuncta est. Hic sensus aliquoties

tantum iterari et post diuturna demum intervalla repeti potest, aut aegrotum celeriter deinceps afficit et tum per dimidiam aut per totam horam permanet. Interdum quoque aegroti sensum habent quasi cor vehementer arripiatur. His in casibus impetus palpationis aut fortis irregularisque actionis cordis adest, qui sine remissione per horam et etiam diuturnius perdurare et hac ratione quotidie aut post diuturnius temporis intervallum reverti potest; sed saepe per nonnullos quoque dies haec affectio adest. Interdum quoque frequentia tantum actionis cordis aucta est et impetum celerrimorum pulsuum praebet, quocum anxietatis sensus coniunctus est, qui sine intermissione per unam vel per duas horas permanet. Attamen hae affectiones sympaticae a vero cordis morbo facile distingui possunt, symptomata illa supra dicta in intervallis plane deficiant, in quibus pulsus, ictusque cordis regulares snnt et tum se praebere soleant, si aegrotus post coenam requiescit, neque totius corporis motione augeantur sed multo magis temperentur.

Pars secunda.

DIAGNOSIS INFLAMMATIONIS VENTRICULI.

Inflammatio acuta ventriculi non tam frequens est, quam chronica atque ad congestivam stasem magis inclinat infiammatio huius organi aut imo potius membranae mucosae; quae autem in vita saepissime ignoratur et cum aliis morbis confunditur. Quum ventriculi vasa capillaria diversissime impleta esse soleant, et vera eius inflammatio oriri sine dubio non facile est, et stases minoris momenti iterum ac saepius, ne indicio quidem suae praesentiae relicto, dissolvi possunt. [1]) Abercrombie ve-

1) Spezielle Pathologie und Therapie der entzündlichen Brust- und Unterleibskrankheiten von Dr. M. E. A. Naumann, Berlin 1847. p. 416.

stigia ad ventriculi inflammationem in cadavere raro invenit, etiam vicinis organis vehementissime inflammatis. Saepe tamen in sectionibus vestigia ad gravissimam inflammationem detecta sunt, quum hominibus viventibus nulla idonea symtomata, ne dolor quidem in ventriculi regione, neque vomitus adfuerunt.[1] Diagnosis tales errores faciles sunt, quum gastritis acuta et permulta gravissima symptomata consensualia efficere possit, quibus ipsa recedit et systema nervorum maxime debilitante vi afficiat et manifestationem symptomatum ei aliis in casibus propriorum ipsa impediat. Diversissima autem ratione ventriculus systema nervorum afficere potest, ut haud raro symptomatibus perturbantibus ventriculi inflammatio diagnota sit, quae plane non adfuit.

§. 1.

Gastritis acutissima.

Si morbus vehementissimus est status vere febrilis non animadvertitur, dyscrasia enim inflammatoria fere semper etiam non adest, et praeterea impressio debilitans in nervorum centrum tam praevalens est, ut haud raro

1) Morgagni epist. anat. XLIX. Nr. 14. de Haën, ratio medendi T. IX. p. 24, 36 Stoll, rat. med. T. III. p. 383.

ab initio cordis functio debilis neque idonea esse videatur. Attamen morbus interdum cum forte algore incipit, quem febris symptomata consequuntur, quae tamen minoris momenti sunt aut affectione ingravescente paralytica mox deprimuntur. Inter symptomata gravissima dolor nominandus est, qui urens et simul terebrans, secans, dirrumpens, constringens describitur et ab epigastrio saepe in hypochondria, in pectus ad tergum et scapulas propagat aut semper cum sensu vehementis constrictionis pectoris coniunctus est. Lenissima ventriculi regionis tactione. omnibus corporis motionibus, ipsa inspiratione, singulti et minima assumpta mitissimi liquoris quantitate dolor augetur, qui subitam animae defectionem efficere potest. [1]) Vehemente in telas submucosas inflammatione penetrante membrana muscularis ad contractiones spaticas concitatur, quibus gravissima irritatio aliarum ab iflammatione affectarum membranarum ventriculi afficitur. Nimis autem vehementiore ad membranem muscularem penetrante, infiammatione non contractiones spasmoticae sed multo magis status quasi paralyticus provocantur. Itaque, venenis corrodentibus assumptis saepe prae aliis imminentissimis symptomatibus dolor levis animadvertitur, ut in celeberrimo a Puchelt narrato casu demonstratur,

1) Berends, Vorlesungen. Bd. III, p. 299.

ubi aegrotus chrysulca bibita de parvis tantum doloribus in ventriculi regione questus est. Neque etiam dolor semper in loco affecto sentitur, ut e casu a Broussais narrato emanat. Primum enim morbi symptoma acerbissimus erat dolor in pectore cum tussi coniunctus, quem postea ardor et sensus, quasi ventriculi regio constringeretur, secutus est. In cadavere pulmones plane sani, ventriculus autem vehementer inflammatus reperti sunt. [1]) Si gastritidis cursus valde accutissimus est, imminens angor raro non observatur. Vomitus, quamquam in casibus acutissimis nonnunquam deerat [2]) inter frequentissima symptomata nominandus est; coniunctus cum vomituritione cruciante aegrotum tantis doloribus afficit, quasi ventriculus dirumpatur. Quo vomitu partim ingesta partim mucus tenax varie coloratus interdum quoque sanguis et inflammationis producta aut succus tantum gastricus bilisque eiiciuntur. Vomituritiones vomitusque saepe permanent, qui singultu tantum ructuque sonante interrumpuntur, subita animae defectione alia aliam sequente. [3]) Saepe quoque deglutitio impeditur; obstructio fere semper sed diarrhoeae interdum animadvertitur. Haec appareat

1) Hist. de Phlegmas. chron. T. II, p. 465.

2) Woyde in Schmidt's Jahrbüchern Th. XXII, p. 361.

3) Trusen in Hufeland's Journal, 1842 April.

necesse est, si intestini membrana mucosa ad coniestionem irritata est, constrictione intestini spastica eodem tempore non facta. Status universus confectonem vitae systematis nervorum celeriter crescentem distincte ostendit, quacum paralysis incipiens circulationis periphericae coniuncta est. Facies enim extremitatesque refrigescunt et frigido sudore teguntur, sensu ardoris in ventriculi regione haud raro crescente. Pulsus parvi, duri, inaequales, intermittentes, frequentesque postremo vix sensibiles fiunt. Contractione abdominis musculorum spastica tegmenta abdominalia haud raro vehementer intrahuntur; sed tamen abdominis intumescentia quoque coniuncta cum multis doloribus, tympanica intestinorum extensione effecta observatur. Lingua saepe pura et morte instante interdum livida erat. Ut fere fit aegroti de siti consumente queruntur, qua eo magis cruciantur, quod eam ob vomitum vehementem exhaurire non possunt. Perfrigerium extremitatum magis magisque increscit, virium prostratio summa, facies collapsa et pallida, haud raro spasmis deformitata. Singultu, dysphagia, deliriis aliisque nervorum affectionibus aegroti laborantes, paralysi celeriter interire possunt. Attamen symptomata supra descripta non semper illa vehementia sunt, sed morbus multo levioribus affectionibus coniunctus esse potest.

§. 2.

INFLAMMATIO MEMBRANAE SEROSAE.

Inflammatio membranae serosae praecipue acuta nominabatur, cui a Cullen gastritis erythematosa opponebatur, ubi membranam mucosam aegrotare obtinebatur P. Frank et filius J. Frank gastritidem phlegmonosam, quae cum febri vehementi coniuncta esset et a membrana peritonaeali proficisceretur, ab erysipelatosa ad membranam mucosam pertinente distinguebant.[1]) Annesley contendit, inflammationem membranae serosae eo certius coniici posse, quo vehementior dolor, quo minores durioresque pulsus sint. Naumann vero celeberrimus vir, qui saepe post peritonitidem universalem membranam ventriculi serosam vehementer inflammatam invenit, symptomatibus gastritidis ingentibus in vita absentibus, inflammationem membranae peritonaealis ventriculi tam gravia symptamata non provacare, sed praecipue, quum membrana muscularis ventriculi aegrotationis particeps sit, effici, neque membranae serosae inflammationem propria symptomata habere, putat. Kreysig quoque gastritidem acutam maxime ad membranae muscularis inflammationem refert et gastritidem chronicam praecipue ad membranae mucosae inflammationem.

1) Prax. medic. P. III. Vol. I. Sect. II, pag. 599.

§. 3.

Myogastritis, gastritis muscularis.

Scharlau [1]) rheumatismum ventriculi et pharyngis aut cardialgiam, quae rheumatica dicitur, ingressum in subacutam et chronicam membranae illae inflammationem atque denique in indurationem insanabilem degenerationemque eius habendum esse, iudicat; morbum iis locis tantum se ostendere, ubi morbi rheumatici existunt et in maritimis maris Baltici, quo proprius mari, eo saepius observari. Tria stadia huius morbi distinguit, quorum primum cardialgiam nominat. Symptomata stabilia et constantia dicuntur: sensus constringens cum doloribus coniunctus in ventriculo usque ad columnam vertebrarum pharyngemque, aëris formatio in ventriculo coniuncta cum ructu, magis magisque increscens obstructio; illae affectiones certo tempore recurrunt, satis libris intervallis interiectis. Symptomata negativa non minus gravia haec nominantur: depressione in ventriculi regionem facta, dolorem non effici, vomitum non animadverti, membranam ventriculi mucosam parvum tantum morbi participem esse,

1) G. W. Scharlau die Kardialgie und die chronische Entzündung der Muskelhaut des Magens. Mediz. Ztg. v. Verein f. Heilk. in Preussen 1846, Nr. 37, 38.

qua de causa appetitus et ciborum digestio fere regularis adsit. Contra Naumann cl. v. de forma rheumatica horum symptomatum dubitat, quum in omnibus rheuma affectis partibus compressione dolor efficiatur, neque affectiones rheumaticae certo tempore recurrant. Functionem organorum rheuma correptorum valde impediri in similibus affectionibus cordis, diaphragmatis, uteri et c. animadverti; itaque membranam muscularem rheuma affectam vix sine impedimento negotium in digestione perficere posse. Quibus omnibus commotus cardialgiam sin etiam perfrictione exortam nihilominus affectionem rheumaticam nominandam non esse, sed tantum stadia sequentia adiuvare, putat. Inflammatio subacuta membranae muscularis est secundum stadium. Symptomata stabilia nominantur haec: Dolor et in praecordiis et in tergo sine remissione permanet; omnes fere cibi vomitu eiiciuntur, si eorum quantitas ultra modum quemdam egreditur aut ad eorum digestionem labor maior ventriculi opus est. Ventriculus contractus eiusque tactione dolores efficiuntur; aegroti valde macescunt. Malo diutius permanente symptomata magis magisque increscunt. Dolor magis dirumpens in columna vertebrarum urens rodensque fit. Ventriculus ita contractus est, ut omnes in cavitate abdominis partes positae distincte, pulsatio ipsa aortae abdominalis sentiri possint;

aëris formatio nunc deficit. Induratio membranarum ventriculi, stadium tertium, multa eadem symptomata habet, quae etiam carcinoma ventriculi, iis tamen exceptis, quae ad ulcerationem pertinent. Induratio primum in parte pylorica exoritur et a membrana musculari sensim ad omnes reliquas membranas propagatur; in membrana mucosa nonnunquam ulcera existunt, quae tamen levia permanent. Hac ratione symptomata magnopere increscunt. Aegroti vomitu, dolore, acrypnia debilitati tandem variis complicationibus praesentibus intereunt. Extra tumor làtus atque planus praecipue in latus sinistrum sed non semper sentitur. Etiam in sectionibus induratio ventriculi membranarum inventa est, ubi antea in vita coniectata non erat.

§. 4.

Gastritis mucosa acuta.

Abercrombie [1]) se nunquam acutam inflammationem idio pathicam membranae mucosae ventriculi invenisse, contendit. Etiam de Haën, huius membranae inflammationem praecipue in formam chronicam inclinare, dicit. [2]) Atta-

1) Abercombie, pathologische und praktische Untersuchungen über die Krankheiten des Magens, des Darmkanals, der Leber und anderer Organe des Unterleibes. A. d. Engl. 2. Aufl. Bremen 1843.

2) Ratio medendi. T. VI, p. 228.

men Broussais inflammationem acutam mediocri intensitate saepe existere, raro autem subito hac gravitatis forma incipere, sed sensim ad hunc intensitatis gradum ascendere, docuit. Facta autem haud dubia, viribus vehementer nocentibus, ut liquore acri efferfescentique, potu frigido, corpore calefacto, homines optima sanitate praediti interdum gastritide mucosa acuta affici posse, ostendunt. Morbus diversissima symptomata efficere atque varia genera praebere potest, qua de re admirari non possumus, si causarum occasionalium varietatem, complicationes, quibuscum morbus saepe coniuntus est, varias gradationes, quibus membrana muscularis aegritudinis particeps esse potest, consideramus. Aegroti queruntur de saucitatis atque ardoris sensu et interdum de dolore vehemente in ventriculi regione, cuius tactus saepe maxime sensibilis est. Nonnunquam cum illis symptomatibus inclinatio ad vomitum et obstructio [1]) ructus acidus, ardoris intollerabilis, qui a ventriculo ad pharyngem propogatur [2]) et praeterea rubor magnus atque ariditas purae linguae coniuncta sunt. [3]) Quod attinet ad functionum anomalias, appetitus deficit

1) Ign. Bischoff, Darstellung der Heilungsmethode der mediz. Klinik. Wien 1827 p. 376.

2) Jahn, mediz. Conversationsbl. 1830. Bd. 1, p. 100.

3) Fouquier in Schmidt's Jahrb. Bd. III, p. 92.

atque sitis haud raro satis vehemens adest, taedium omnium irritantium et calidorum, sed desiderium frigidorum potuum. Nausea, vomituritio, vomitus saepe adsunt, sed tamen deficere possunt. Nonnunquam quoque morbus cum omnibus cholerae symptomatibus incipit. [1]) Stokes in regionis cardiacae inflammatione singultum, inflammationem faucium, ardorem in pharynge, deglutitionem doloribus coniunctam, cavitatem oris maxime parte epithelio orbatam et vero scarlatinae rubore excelsam observavit. De linguae habitu variae sunt sententiae. Secundum Dav. Craigie lingua laevis nitida atque tenax est, quacum siccitas oris praecipue nocte coniuncta est. Porro lingua pura rubra atque sicca coniuncta cum querelis ut in gastricismo, aliis autem in casibus lingua tegmento mucoso inducta erat, praeterea diuturna nausea, sed sine abdominis inflammatione atque borborygmis observabatur. [2]) Secundum Annesley [3]) lingua fere semper rubra praecipue in marginibus et superficies albo tegmento inducta; non-

1) Broussais Hist. des Phlegmas. chron. T. III, p. 35.

2) Broussais Hist. des Phlegmas. chron. T. II, p. 507.

3) I. Annesley, über Entzündung und organische Verletzung des Magens, mit Bemerkungen über die gewöhnlichen Erscheinungen bei der Leichenöffnung und die geeignetsten Heilmittel. B. XI.

nunquam linguae inductus sordido-flavus aut fuscus coniunctus cum ulceribus aphtosis in linguae marginibus observabatur. Delpech, radicem linguae semper fuscam, apicem autem rubram atque siccam se semper invenisse, affirmat. Tussis, dolor in pectore dyspnoea haud raro adsunt. Secundum opinionem Broussais tussis pulsatim aegrotos afficit maxime in exacerbationibus sed raro vehementes impetus facit. Nonnullis horis post symptomatum ingressum localium, frigus se praebet, tum vehemens aestus febriculosus. (Ign. Bischoff.) Secundum Broussais autem raro tantum frigus adest, sed calor cutis adauctus. Pulsus frequentes, maxime varii minime certi. Magna inquies, qua aegroti ad sempiternam situs mutationem omnem impelluntur, anxietas coniuncta cum pulsibus plenis atque mollibus (Annesley.) Aegroti dolore in brachio et in humero eius lateris, inquo ventriculus inflammatus est, quodam alieno atque novo in vultu, gemitu atque suspiritu crebro afficiuntur, certis molestiis non acusatis. Secretiones cutis atque renum saepe deminutae sunt atque alvi solutio iners, nonnullo autem tempore post cutis sicca et dura in sudorem gravi violentem ire potest.

§. 5.

Gastritis mucosa chronica.

Saepe illa gastridis forma plerumque complicationibus coniuncta cum cardialgia permutatur, quae tamen ad ea occasionem dare etiam cum ea coniuncta esse potest. Cum scirrho quoque ventriculi gastritis mucosa chronica haud raro confunditur, 'a qua tamen saepissime comitatur. Functionum ventriculi inertia, quae vera ventriculi infirmitate atque collaxatione niti videtur, et diversae anomaliae secretionis membranae huius organi mucosae cum variis gradationibus gastritidis mucosae chronicae coniunctae esse possunt, quae tandem et ad malaciam et ad indurationem membranarum ventriculi et ad ulcus circumscriptum pertinere potest. Symptomata per longum temporis spatium permanere, tum autem rursus desistere, saepe intervalla habere et denique permanentem maxime periculosum morbi statum confirmare possunt. Quod attinet ad symptomata huius morbi graviora, dolor multis in casibus parvus et magis sensus molestus est, qui sum constrictione et pressu in inferiore pectoris parte aut in epigastrio et cum tensione premente versus tergum comparatur. Sensim augeri hic sensus et cum ardore interdum quoque cum pulsatione

in regione epigastrica coniungi potest. Saepe aegroti interdum de vehemente dolore queruntur, qui fere semper impressione augetur, (Debreyne.) [1]) Si dolor loco certo, in quo tamen semper sentiri, necesse non est, perseverat, ulcus veresimile est; tales loci nonnunquam semper maxime sensibiles sunt et interdum dolore ardente, cibis irritantibus assumptis, significantur. Attamen etiam in iis casibus, ubi membrana mucosa multis ulceribus affecta est, dolor tam plane deficere potest, ut ne impresione quidem neque cibis assumptis provocetur. Contra multis in casibus semper post coenam aegroti dolore afficiuntur, qui per digestionem permanet et simul cum perfectione huius negotii desistit. In casu celeberrimo, qui a van Deen [2]) narratur, dolores secunda aut tertia hora post coenam inceperunt et vehementer per quatuor horas permanebat, praeterea inter hoc tempus aegrotus anxietate atque vomituritionibus afficiebatur, vultus mutatus, manus pedesque frigidi erant;

1) P. I. B. Debreyne, observations générales sur le diagnostic et le traitement de la gastrite chrorique. Revue méd 1839. Mai.

1) I. van Deen, eigenthümlicher Fall von gastritis chronica mit Ausgang in Magendurchlöcherung. Schmidt's Jahrb. 1836. Bd. LI p. 37.

impressione tantum loci dolentis in corpus durum dolor mitigari poterat, nunquam autem impetus post ientaculum aut post coenam vespertinam se praebebat. Multi aegroti praecipue de sensu extensionis atque intumescentiae ventriculi post quemquam coenam, qui tandem fere intollerabilis fieri potest, queruntur. Etiam cibis non assumptis pressus, tensio, molesta plenitas atque ardor in epigastrio non raro adsunt. Defectus appetitus atque taedium ciborum saepe desunt, aegroti propter insequentes sensus dolentes atque iniucundos multum edere timent. Defectus appetitus absolutus coniunctus cum insatiabili siti magnam morbi gradum demonstrat. Nonnunquam appetitus optimus. Etiam interdum cum appetitus inopia bulimus coniunctus est. Nonnulli desiderio fortium aromaticorum praecipue sale conditorum ciborum atque potuum spirituosorum tenentur. Multi aegroti obstructione laborant, alii interdum tantum alvi solutionem inertem habent; nonnunquam quoque alvi solutio a norma vix dissidet; non raro obstructio cum diarrhoea mutatur. Multis in casibus linguae rubor adauctus praecipue in apice atque in marginibus, aliis in casibus autem fere semper albo muco lingua inducta est, interdum quoque lingua sicca atque dolens et in marginibus parvis ulceribus obtecta est. Persaepe aegroti de aëris, aut mucosi, aquosi in-

sipidi aut, quod saepius fit, acidorancidi liquoris ructu queruntur. [1]) Ructus ille per totum digestionis tempus permanere potest et non raro aegrotos doloribus atque tormentis afficit. Saepe aegroti mox post cibos assumpto aut post multorum tantum ciborum ingestionem vomitu afficiuntur, quo facto, saepe doloris diminutio sequitur. Saepe quoque pluries per diem liquor insipidus, aquosus aut albumini crudo similis et vitreus pellicidusque vomitu eiiciebatur. Vomitu liquoris purulenti, saniosi et graveolentis aut fuscae materiae aut sanguinis ulcera verisimilia fiunt. Dodoens ulcera in ventriculo hominis invenit, qui per longum temporis spatium spiritu maxime foetido affectus erat. [2]) Naumann cl. v. hoc symptoma satis magni momenti ad constituendam diagnosem esse posse putat, quum nonnullos aegrotos inveniret, qui, quamquam lingua pura et sicca atque pulmones sani erant, valde graveolente spiritu non semper quidem praesente sed nonnullum tempus ante vomitum et alvo obstructa maxime intollerabili laborarent. Reliquis symptomatibus ulcera verisimilia facta sunt, quae in uno casu sectione affirmari potuerunt. [3])

1) Seiler, über das Sodbrennen, in Horn's Archiv für die medic. Erfahrung. Bd. VI, p. 409.

2) Med. observat. exempl. cap. 25.

3) Handbuch der medic. Klinik. Bd. I, p. 438.

Sensim color faciei cachecticus fit atque aegroti macescere et consenescere incipiunt. Urina parce secernitur mox turbida et sero similis redditur, sedimenta mucosa habet et fusca fit; aliis in casibus fere normalis permanet. Cephalalgia et defatigatio post coenam saepe observantur; inertia, stomachus, turbatio concentus sensim increscit. Broussais in melancholicorum cadaveribus membranam mucosam gastrointestinalem rubram atque siccam saepe invenit et gastritide chronica melancholiae perfectionem adiuvari putabat. [1]) Bayle accuratius demonstrare conatus est, gastroenteritidem causam occasionalem vesaniae fieri posse; praecipue facile monomaniam in aegrotis oriri, quasi iis venenum datum esset aut dari tentaretur; qua de causa aegrotorum recusatio pertinax edendi existeret; attamen plurimos aegrotos hereditate aut aliis causis ad vesaniam iam dispositos esse. [2]) Gastritis autem non tam occasiones vesaniae adiuvare, quam ad formam tantum eius pertinere videtur, quum certum sit, irritationes intestinorum chronicas multo saepius sine vesania, quam cum illa coniunctas observari. [3]) Gastritis chronica saepe coniuncta est cum malo cordis sympatico, tamen in in-

1) l. c. T. III, p. 92.

2) Revue médicale, 1827. Août, Novbr.

3) Naumann, medic. Klinik. Bd I, p. 439.

veteratis casibus verae cordis affectiones haud raro animadvertuntur. Denique nonnulli aegroti vehementi tussi spastica laborant, quae praecipue nonnullas horas post coenam se praebet et muci tenacis eiectione aut ructibus frequentibus finitur. Gastritis mucosa chronica facillime cum carcinoma ventriculi confundi potest; in utroque enim morbo idem dolores, eadem molestiae dyspepticae, vomitus habitualis post coenam, vomitus ipse materiae fuscae similis coffeae nigrae, qui a multis symptoma pathognomonicum false habetur, macies magis magisque adaucta. In iis casibus tantum, ubi cum illis symptomatibus tumor aut durities in epigastrio aut in regione pylori coniunctus est, carcinoma ventriculi iure coniiciendum est.

Vita.

Natus sum Andreas Stomma Coloniae Agrippinae die XVI mens. Ianuarii anni MDCCCXXVIII parentibus Hermanno Iosepho et Catharina e gente Thelen, quorum illum pluribus inde iam annis morte mihi ereptum admodum lugeo, hanc divina gratia superstitem et bona valetudine utentem amplector veneror que pietate. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum rudimentis imbutus Gymnasium Coloniense Fridericium Guilelmium adii, deinde examine maturitatis superato sub fine mens. Octobr. anni MDCCCXLIX Bonnam me contuli, ibique a Rectore Magnifico Bluhme in numerum civium academicorum receptus a Decano illustr. Nöggerath albo ven. facultatis philosophiae inscriptus per annum dimidium has philosophicas frequentavi scholas: Logicen et Psychologiam apud illustr Knoodt. Grammaticam hebraicam apud illustr. Freitag Homeri hymnum in Demetrem apud illustr. Schopen. Ciceronis epistolas apud illustr. Bernays, historiam imperatorum Romanorum apud illustr. Aschbach. Taciti Germaniam apud illustr. Heimsoeth. Aristophanis nubes apud illustr. Ritter. Historiam populorum comparativam apud illustr. Arndt. Tum relicto studio philosophico et albo gratiosi medicorum ordinis a Prodecano spect. Mayer inscriptus per annos tres deinceps sequentes et dimidium has audivi scholas: Chemiam experimentalem et organicam apud illustr. G. Bischoff; botanicen apud illustr. Treviranum; mineralogiam apud illusr. Nöggerath; zoologiam apud illustr. Troschel. Ex medicorum ordine mihi praeceptores fuere: De Encyclopaedia et Methodologia medicinae illustr. Albers; de Anatomia generali et speciali illustr. Mayer et illustr. Weber; de Physiologia generali et speciali cl. Budge; de Pathologia et Therapia generali, de Semiotice, de Pathologia et Therapia speciali illustr. Naumann; de Materia medica, de arte formulas conscribendi medicas, de Pathologia anatomica cl. Albers; de Chirurgia generali et speciali, de operationum chirurgicarum praeceptis, de apparatu instrumentorum chirurgicorum illustr. Wutzer; de fracturis ossium et luxationibus, de fasciis applicandis cl. Hoppe: de morbis oculorum et aurium doct Schauenburg; de variis tumoribus diagnoscendis et curandis doct. Weber; de arte obstetricia; de apparatu instrumentorum obstetriciorum, de morbis uteri,

de medicina forensi spect. Kilian. In exercitationibus practicis duces mihi fuere: In arte cadavera dissecandi illustr. Mayer et illustr. Weber; in exercitationibus ad phantoma et in clinico obstetricio spect. Kilian; in Clinico chirurgico et ophthalmiatrico illustr. Wutzer; in operationibus in cadavere instituendis illustr. Wutzer et doct. Otto Weber; in Clinico propaedeutico cl. Albers; in Clinico therapeutico illustr. Naumann. Quibus omnibus viris illustrissimis, maxime de me meritis, pio animo maximas, quas possum, ago gratias easque persolvere nunquam desinam.

Theses.

1) *In plurimis morbis syphiliticis mercurius non adhibendus est.*

2) *In ulceribus curandis maxime est respiciendum ad dyscrasiam.*

3) *Sunt certa fetus in utero mortui signa.*

4) *Partum arte praematurum in primi paris instituere licet.*

5) *Menstrui fluxus non est sanguinis fluxus.*

6) *In morbis diaetam efficatiorem, quam medicamenta esse dici non potest.*

7) *Stethoscopum non semper in morbis pectoris adiumentum.*